Charles René Billuart – *Summa Sancti Thomae,* 10 vol. Lugduni, apud Pelagaud et Lesne, 1839 (I ed. : *Summa Sancti Thomae hodiernis academiarum moribus accomodata, sive Cursus theologiæ juxta mentem, et in quantum lucuit, juxta ordinem et litteram Divi Thomæ in sua Summa, insertis pro re nata digressionibus in historiam ecclesiasticam*, 5 voll. In 19 tomi, apud Everardum Hints, Liége, 1746-1751)

Tractatus de Deo et Divinis Attributis, dissert. I, art. 3, vol. I, p. 35a-38b
ARTICULUS III.
*Utrum demonstrationes **Cartesii** de Dei existentia sint admittendæ ?*
Cartesius duas commentus est demonstrationes de Dei existentia, quas ineluctabiles jactitat, quasque usurpant non pauci recentes tam philosophi quam theologi.
Prima demonstratio **Cartesii** 3 Medit. Metaphys. haec est.
Extat in nobis idea entis infiniti et summe perfecti : atqui hæc non nisi ab ente etiam infinito et summe perfecto haberi potest : ergo existit ens infinitum et summe perfectum : ergo Deus. *Patet maj.* Non enim alia ratione meliora deterioribus anteponimus, quam quia ad ideam entis summe perfecti nobis insitam propius accedere videmus. *Prob. min.* Hæc idea neque a nobis ipsis, neque a parentibus aut magistris, neque a rebus sensibilibus ortum habere potuit : ergo a solo Deo. *Prob. ant.* Summa perfectio quam exhibet idea ista neque in nobis, aut parentibus, aut magistris, aliisve rebus sensibilibus inest : atqui si idea ista summæ perfectionis a præfatis proficisceretur, in eis deberet esse summa perfectio repræsentata per illam : ergo. *Prob. min.* quia quidquid perfectionis est in effectu, debet contineri in causa vel formaliter vel saletem eminenter.
Secunda demonstratio **Cartesii** & Medit. Metaphys. hæc est.
Quidquid in idea clara et distincta alicujus rei comprehenditur, id de ea re verum est, seu vere affirmari potest : atqui in idea clara et distincta Dei, existentia actualis comprehenditur : ergo de eo affirmari potest. *Major est certa ex supra dictis. Prob. min.* Deus est ens summe perfectum : atqui in idea clara et distincta entis summe perfecti comprehenditur existentia actualis : ergo. *Prob. min.* In idea clara et distincta entis summe perfecti comprehenditur omnis perfectio : atqui existentia actualis est quædam perfectio : ergo.
Quæritur ergo utrum hæ duæ rationes tanquam veræ demonstrationes existentiæ Dei sint admittendæ ? *Et R. Negative pro utraque.*

§ I. – *De prima demonstratione **Cartesii**.*

Dico 1° *primam ejus minorem,* nempe ideam entis infiniti et summe perfecti, non posse esse nisi ab ente summe perfecto et infinito, *esse falsum*.
Prob. 1° Res finita et imperfecta non exigit causam infinitam et summe perfectam : atqui idea Dei quæ in nobis, est finita et imperfecta : ergo non necessario a Deo proficisci debet, sed ab aliis rebus creatis ortum habere potest. *Prob. min.* Duo in idea distinguenda sunt juxta ipsum **Cartesium**, quorum unum habetur ab intellectu, aliud ab objecto ; idea enim 1° est accidens menti inhærens vel saltem modus ejus, aut certe perceptio actualis, et hæc est ab intellectu ; 2° est repræsentatio hujus potius quam illius objecti, et hoc, inquit, habetur ab objecto. Primum vocari potest realitas aut perfectio entitativa ideæ. Secundum vocatur a **Cartesio** realitas seu perfectio objectiva ideæ : atqui utrumque est quid finitum et imperfectum : ergo. *Minor pro prima parte patet* et admittitur a **Cartesio**. *Prob. secunda pars.* Hæc idea Dei quæ nobis inest, non repræsentat nisi aliquid finitum : ergo realitas seu perfectio ejus objectiva est finita et imperfecta. *Patet consequentia* ex **Cartesio**, qui totam perfectionem ideæ desumit ex perfectione rei infinitæ repræsentate. *Prob. ant.* Hæc idea, juxta ipsum **Cartesium** et rei veritatem, repræsentat tantum negative infinitam ipsam et ipsam rem infinitam positive quidem sed inadæquate (duo enim in ente infinito distinguenda sunt, scilicet res | ipsa quæ est infinita, et ipsa infinitio qua infinita est, ex ipso **Cartesio**) : atqui repræsentare infinitionem negative et representare positve sed inadæquate rem infinitam, est repræsentare aliquid finitum : ergo. *Prob. prima pars min.* Repræsentare aliquid negative, est repræsentare, ut loquuntur theologi post D. Dionysium, per excessum seu per remotionem, id est, est repræsentare non quid res sit, sed quid non sit ; adeoque repræsentare infinitionem negative, non est repræsentare quid sit infinitio, sed quid non sit : atqui id quod non est infinitio finitum est : ergo repræsentare infinitionem negative, est repræsentare aliquid finitum. *Prob. secunda pars min.* Repræsentare rem infinitam positive sed inadæquate, est positive exhibere rem quæ est infinita, sed non omne quod in ea latet, adeoque est repræsentare rem cui, prout repræsentatur, potest aliquid adjici, scilicet id quod in ea latet et per ideam non repræsentatur : atqui id cui, prout repræsentatur, potest aliquid adjici, est finitum sub hac ratione, id est, quatenus repræsentatur : ergo repræsentare rem infinitam positive sed inadæquate, est

repræsentare aliquid finitum, seu, ut magis proprie loquamur, est repræsentare esn infinitum sub ratione finiti, seu saltem non infiniti.
Confirmatur 1°. Ideæ repræsentanti inadæquate tantum ens infinitum deest perfectio qua adæquate repræsentet, foretque perfectior si ipsum adæquate repræsentaret : atqui idea cui deest aliqua perfectio et qua potest dari alia perfectior, non est infinita et summe perfecta : ergo.
Confritmatur 2°. Perfectio ideæ non desumitur ex perfectione rei repræsentatæ, sed ex modo repræsentandi ; perfectiones enim rei repræsentatæ non sunt perfectiones ideæ, sed perfectio ideæ est ipsa rei repræsentatio : atqui hæc idea Deum infinitum modo imperfectissimo repræsentat utpote inadæquate : ergo est idea imperfecta et finita, adeoque non exigit causam sui infinitam et summe perfectam.
Confirmatur 3°. Si realitas objectiva ideæ Dei foret infinita et summe perfecta, vel foret ipse Deus, vel aliquid aliud a Deo : atqui neutrum dici potest : ergo. *Prob. min.* Non primum, ut fateri videtur **Cartesius**, renitentibus tamen quibusdam ejus discipulis, quia alias daretur in hac vita naturalibus viribus intuitiva visio Dei, quod juxta saniorem theologiam proprium est beatis, et quod etiam videtur damnatum in concilio Viennensi contra Begardos et Beguinas sub Clemente V, ut refertur in Clementina *Ad nostrum*, de Hæreticis. *Deus enim lucem inhabitat inaccessibilem*, 1 Timoth. 6 ; et *videmus nunc* (eum) *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* 1 Cor. Cap. 13. Non etiam secundum quod intendit **Cartesius**, quia ipsa idea foret alter Deus ; nihil enim nomine Dei aliud intelligitur quam ens infinitum et summe perfectum. Ergo.
Dicendum igitur omnem ideam, omnem notitiam quam habemus de Deo, a rebus sensibilibus, ortum habere triplici via : 1° per additionem, quatenus perfectiones quas in creatis videmus dispersas, in una superiori ratione colligimus et omni mentis conatu amplificamus, et ultra quæ fingimus, longe plura superesse adhuc putamus ; 2° per remotionem, in quantum imperfectiones quas in visibilibus deprehendimus, ab illo ente superiori et summe perfecto removemus ; 3° per analogiam seu translationem, quatenus ex cognitione entis creati ducimur in cognitionem entis increati, quod sit causa et principium omnium creaturarum : unde Apost. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur,* etc.
Prob. 2°. Omnis realitas sive entitativa, sive, ut, vult **Cartesius**, objectiva idearum nostrarum efficitur totaliter a mente nostra et non ab objecto. Ergo. *Prob. ant.* Si effingam in animo meo ideam entis non existentis, sed tantum possibilis, puta Antichristi, mundi alterius ab isto, etc. hæc idea habebit realitatem etiam objectivam, cum sit idea entis possibilis : atqui tamen ista realitas etiam objectiva non habebitur ab Antichristo seu mundo altero, si quidem non existant actu ut possint aliquid causare ; sed a sola mente, hanc speciem ad libitum componente.
Dico 2° *majorem* syllogismi **Cartesii** *non esse ita certam et evidentem*, quin eam possit negare atheus. Dicet enim se non habere ideam entis infiniti et summe perfecti, sed tantum rerum sensibilium et creatarum : quod autem meliora deterioribus præponat, inde fieri quia priora magis | ipsius appetitui et rationi consentanea esse experitur. Quid had hæc **Cartesius ?**

§ II. *De secunda demonstratione* ***Cartesii****.*

Quantum ad secundam demonstrationem, omitto nunc **Cartesium** committere circulum vitiosum in suo syllogismo. Probat enim existentiam Dei per hoc principium : Quidquid in idea clara, etc., et veritatem hujus principii probat per existentiam Dei ; docet enim omnem certitudinem cognitionum nostrarum repeti debere ex hoc principio, *Deus est verax et bonus*. Hoc, inquam, nunc omisso,
Dico 1° totum syllogismum **Cartesii** in sua secunda demonstratione niti supposito quod negatur ab atheis, nec est evidens, et quod debuisset prius a **Cartesio** probari, scilicet, ideam claram et distinctam entis infiniti et summe perfecti quam mente gero, esse ideam entis realis seu possibilis, et non entis alicujus chimærici quod tantum in intellectu possit existere. Duplicis generis enim sunt entia, ut omnibus obvium est : alia sunt quæ existunt vel existere possunt a parte rei, et dicuntur realia ; alia quæ in intellectu tantum, nusquam a parte rei existere possunt, et vocantur entia rationis. Ex hoc itaque quod in idea clara et distincta alicujus entis quod mente concipio, video includi existentiam, sequitur quod illud existat, sed eo modo tantum quo est ens, adeo ut si sit ens reale, existat a parte rei ; si vero sit ens rationis, in intellectu tantum. Ut ergo illud ens in cujus idea comprehenditur existentia, probetur existere a parte rei, debet antea probari seu supponi ut evidens tale ens esse reale, seu possibile a parte rei. Jam autem cum non probet **Cartesius** ideam entis infiniti et summe perfecti esse ideam entis realis et possibilis, nec id aliunde sit per se evidens (hoc enim ipsum est quod quæritur, hoc est quod athei pernegant ; quinimo quod et intellectui, nondum per alias demonstrationes convicto, chimæricum et omnino impossibile videtur, utpote continens perfectiones incomprehensibiles, puta infinitatem, aseitatem, independentiam, omnipotentiam, etc., et etiam quædam alia quæ videntur sese destruere, v. g. libertatem et immutabilitatem, immensitatem et indivisibilitatem, proprietates corporum et

spirituum, etc.) cum, inquam, **Cartesius** nec probet hanc ideam entis realis et possibilis, nec id aliunde evidens sit : *contra ipsum in forma sic arguo :*
Vel supponit **Cartesius** ideam entis infiniti et summe perfecti esse ideam entis realis et possibilis, vel non, sed tantum esse ideam entis chimærici et ab intellectu suo conficti : atqui si primum dicatur, supponit id de quo est quæstio et quod debet probare ; hoc enim ipsum est quod quæritur, hoc quod ab atheis negatur et ab ipsis impossibile et chimæricum omnino, propter contradictiones in ipso apparentes, ut jam diximus, reputatur. Si secundum, nihil aliud probat quam quod illud ens existat in intellectu, non vero a parte rei. Quo posito, *sic* iterum *in forma distinguo illius paralogismum.*
Quidquid in idea clara et distincta alicujus entis comprehenditur, id de ea re verum est seu vere affirmari potest, *transeat major*. Atqui in idea clara et distincta entis infiniti et summe perfecti includitur existentia, *Distinguo min.* cum atheis ; et hæc idea entis infiniti et summe perfecti est idea entis rationis tantum, a parte rei impossibilis, *C. min.* est idea entis realis et possibilis a parte rei, *N. min. Ad hunc sensum distinguo consequens.* Ergo vere existit ens infinitum et summe perfectum, vere existit in intellectu, *C. consequentiam ;* vere existit a parte rei, *N. consequentiam.* Fateor ergo me non posse concipere ens summe perfectum nisi concipiam ut existens, ita ut idea existentiæ necessario comitetur ideam entis infiniti ; sed nihil est necesse illud ens infinitum illiusque existentiam de quibus cogito, extra intellectum extare a parte rei, ex hoc quod extent in intellectu meo cogitante de illis. *Non* enim *valet consequentia* a statu ideali ad statum realem, cum multa entia rationis in mente existant quæ nec sunt nec existere possunt a parte rei : ante omnia igitur **Cartesio** incumbebat probare contra atheos ens infinitum et summe perfectum non esse chimæricum nec impossibile a parte rei, ut ex illius idea clara et distincta demonstraret actualem ejus existentiam a parte rei. Hæc fundamentalis ratio insinuatur a D. Th. 1, p. q. 2, a. 1, ad arg. 2, quod non multum differt a demonstratione **Cartesii**. Confert. art. 1 hujus dissert. obj. 3.
Dico 2° *falsum esse suppositum min.* scilicet, dari in hoc statu claram et distinctam | ideam Dei, seu entis infiniti et summe perfecti.
Prob. 1°. Idea rei alicujus ipsi ut plurimum dissimilis, non est clara : sed idea quam habemus de Deo in hac vita est ipsi ut plurimum dissimilis. Ergo. *Patet min.* Est enim finita et inadæquata, ut dictum est : atqui nulla est similitudo inter finitum et infinitum, nec etiam inter summe perfectum et ideam ejus imperfectam seu inadæquatam.
Prob. maj. Idea est imago rei : atqui imago dissimilis rei quam debet repræsentare, licet in se possit esse clara, respectu tamen rei repræsentandæ non potest dici clara, sed potius obscura et confusa : v. g. imago Cæsaris eleganter depicta, sed parum ipsi similis, in se quidem erit clara, sed respectu Cæsaris obscura. Ergo. Item, ut exemplo **Cartesii** utar.
Confirmatur 1°. Si quis tractum aliquem maris prospiciat, exemplum est **Cartesii**, idea maris quam habebit erit quidem clara respectu istius portiunculæ maris quam videt obscura vero et confusa respectu totius maris : ergo similiter idea finita et inadæquata quam nunc habemus de Deo, erit quidem clara respectu illius quod explicite et expresse repræsentat, scilicet finiti, sed obscura et confusa respectu infiniti.
Confirmatur 2°. Ut sciam ideam infiniti quam habeo esse claram et distinctam, debeo ipsum infinitum clare et distincte cognoscere ; sed id non cognosco in hac vita nec cognoscere possum : ergo saltem non certo scio ideam illius esse claram vel distinctam. *Prob. maj.* Idea est imago rei, ut jam dixi : atqui ut cognoscam imaginem alicujus rei, v. g. Cæsaris, esse respectu illius claram et distinctam, ipsum Cæsarem debeo prænoscere : ergo.
Prob. 2°. Idea clara, juxta **Cartesium** 1 part. Principiorum et ejus sequaces, ea est quæ sola mentis attentione innotescit : atqui idea Dei prout nunc habetur, sola mentis attentione, non innotescit, sed per discursum ex sensibilibus, ut dictum est, analogice et per remotionem imperfectionum acquiritur subobscura semper et caliginosa : ergo. *Prob. min.* Quis enim tam acris ingenii qui, solo menti intuitu, sine ope ullius discursus aut superioris auxilii, cognoscat ens infinitum, æternum, immensum, omnipotens, liberum simul et immutabile, immensum nec divisibile et alia hujusmodi quæ incompossibilia videntur ? maxime cum, juxta Scripturas, *vere Deus sit absconditus,* Isa. 45, v. 15 ; qui *posuit tenebras latibulum suum,* Psal 17 ; et *in cujus circuitu nubes et caligo,* Psal. 96.

Tractatus de opere sex dierum, dissert. I, art. 1, vol. II, p. 235a-238a
ARTICULUS I
Utrum omne ens sit effective a Deo ? Ubi de ***Cartesianismo****.*

Gnostici, teste S. Epiphanio Haeres. 25 et 26, negarunt mundum esse a Deo conditum. Manichæi, ex eodem Epiphanio Hæresi 22 et sequentibus, et ex S. Augustino Hæresi 44, duos astruebant deos a se independentes : unum bonum, qui esset auctor novi Testamenti, lucis, rerum spiritualium et incorruptibilium ; alterum malum, qui esset autor veteris Testamenti, tenebrarum et rerum visibilium corruptibilium.
Plato et Hermogenes apud Tertullianum lib. de Præscription. c. 33, Seleuciani et Hermiani apud S. August. Hæresi 39, dixerunt materiam non fuisse a Deo productam, sed ipsi coæternam, ex qua mundum visibilem produxit.
Q. 44. a. 1. o. – *Dico.* Omne ens aliud a Deo, quod est quomodocumque, est effective causatum a Deo.
Est de fide qua credimus in Symbolis Nicæno et Constantinopolitano, *in Deum, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium.* Et cap. *Firmiter,* de summa Trinitate, Ecclesia in concil. Lateran. I confitetur *Deum unum, Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, esse unum universorum principium, creatorem omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium.* Unde concil. Bracarense I, can. 13, sic definit : «Si quis dixerit creationem universæ carnis non opificium esse Dei, sed malorum angelorum, sicut Manichæus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.»
Atque id aperte exprimit S. Scriptura, Genes. 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram ;* ubi sub cœlo omnia cœlestia, et sub terra omnia inferiora continentur : unde Exod. 20 : *Sex diebus fecit Dominus cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt.* Isaï. 44 : *Ego Dominus faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram.* Psal. 145 : *Qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt.* Joan. 1 : *Omnia per ipsum facta sunt.* Rom. 11 : *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Act. 17 : *Deus qui fecit mundum et omnia quæ in eo sunt.*
Ibid. – *Suadetur ratione.* Omne quod quomodocumque est, continetur virtualiter et eminenter in Deo : ergo omne quod quomodocumque est, est a Deo participatum et causatum. *Patet consequentia ;* quia si esset aliquod ens quod non esset a Deo causatum, illud non contineretur virtualiter et eminenter in Deo. *Prob. ant.* Deus sic est ens per essentiam, ut complectatur omnem rationem entis secundum totam ejus latitudinem et extensionem ; id enim important rationes actus puri, entis infiniti et infinite perfecti, quæ competunt Deo : ergo omne quod quomodocumque est, continetur virtualiter et eminenter in Deo ; alias Deus non contineret omnem plenitudinem entis.
Dices. Essentiæ rerum sunt æternæ et non dependent a Deo : sic ab æterno et independenter a Deo, homo est animal rationale. Ergo.
R. D. Ant. Essentiæ rerum sunt æterne et non dependent a Deo quoad connexionem prædicati et subjecti, C. quoad esse actuale, *N.* id enim habent a Deo in tempore. |
Ib. a. 2. o. – *Hinc inferes* 1°, materiam circa quam maxime erraverunt antiqui philosophi, ut exponit Auctor hic a. 2, esse etiam a Deo productam ; quia cum Deus, ut dictum est, sit causa entis in quantum ens, est causa omnium quæ pertinent ad rationem entis ; materia prima autem pertinet ad rationem entis corporei. Quamvis enim secundum se non sit ens actu, sed tantum per formam, sine qua non producitur, ex ea tamen et forma fit ens actu ; et ideo proprie loquendo, materia non creatur, sed concreatur.
Inferes. 2°, hypothesim **Cartesii**, quam ut thesim hodie propugnant quidam ejus discipuli, aperte pugnare cum S. Scriptura et ratione.
Hæc est autem hypothesis seu thesis. Supponit 1° **Cartesius** materiam esse a Deo creatam ex natura sua homogeneam seu ejusdem rationis ; 2° essentiam ejus consistere in trina extensione longi, lati et profundi, sicque materiam, corpus, extensionem, spatium, esse synonima ; unde 3°materiam nullos habere fines suæ extensionis, quia quidquid et ubicumque concipitur, concipitur ut quid extensum, et non potest aliter concipi ; unde 4° vacuum etiam divinitus esse impossibile, quia omne spatium imaginabile trina extensione constat, adeoque materia et corpore quæ idem sunt ; hinc 5° mundum hunc esse infinitum, seu, ut dicit, absurditatem declinare volens, indefinitum ; inde 6° plures mundos esse impossibiles, neque minimam materiæ portionem posse de novo creari, quia omnia spatia imaginaria sunt repleta, et duo corpora non possunt esse in eodem loco ; alias forent duo, ut supponitur, et non duo, quia eamdem haberent extensionem quæ non distinguitur a corpore. Et, omissis pluribus aliis ejusdem farinæ fictionibus, 7° supponit Deum divisisse materiam in partes æquales, non quidem sphæricas, ne daretur vacuum, sed angulares, puta cubicas, ut contactu quaqua parte immediato omne vacuum excluderent. 8° Supponit illis materiæ fragminibus duos motus a Deo impressos, unum cuique particulæ circa proprium centrum, alterum pluribus communem circa centrum commune ; quo duplici motu a Deo materiæ impresso contendit mundum hunc structura, dispositione, varietate atque ornamentis adeo mirabilem, nihil Deo ulterius agente, facillime potuisse construi.
Primo itaque motu, inquit, cujuslibet particulæ circa proprium centrum, ancones et ramenta particularum effracta sunt ; ita ut ex angulatis factæ sunt globosæ seu sphæricæ, deinde ex continuo attritu tum globorum inter se, tum ramentorum effractorum, decisa fuit scrobs tenuissima ; ancones vero et ramenta confracta

molecularum instar colauerunt : hinc suorum elementorum, seu principiorum, genesis. Hæc enim scrobs tenuissima est primum elementum quam vocant materiam subtilem, globuli secundum, tertium ramenta quæ dum inter spatiola a globulis inter se compressis relicta vi motus comprimuntur, in tres strias, juxta spatium a globulis relictum, efformantur, unde illa vocat partes striatas, vulgo, *les parties cannelées*.
Secundo motu fingit partes materiæ esse distributas in varios vortices, a quorum centro facilius et vehementius ad circumferentiam recedentes globuli, utpote ad motum aptiores, in illud propellunt partem materiæ subtilis citissime agitatam, ex qua conflantur corpora lucida, sol scilicet et stellæ fixæ, altera parte materiæ subtilis discurrente promiscue inter globulorum spatiola, ut ipsa repleat : globuli vero sic ad circumferentiam convolantes et materiæ subtili circumfusi, constituunt corpora diaphana, scilicet cœlos. Tandem ramenta ad invicem complicata, id est materia striata, ad motum minus apta propter figuras suas irregulares, a subtilioribus partibus motu vehementissimo agitatis, a centro versus circumferentiam ad instar spumæ extruduntur, et illic inter globulos seu corpora diaphana, scilicet cœlos, quasi in æquore natantia, constituunt diversa corpora opaca in diversis cœlorum paribus, scilicet planetas, Jovem, Saturnum, Lunam, etc. imo et terram nostram cum omnibus corporibus suis, etiam animantibus ; ita ut sol sit centrum mundi hujus, circa quem motu illius vorticis gyrando continuo abripiuntur cœli, planetæ et terra nostra.
Hoc, inquam, systema quod **Cartesius** proposuit ut hypotesim duntaxat possibilem, hodie quidam ejus discipuli propugnant ut thesim de facto veram contra S. Scripturam et rationem. |
Contra S. Scripturam. Genes. 1 dicitur : *In principio Deus creavit,* non materiam rudem, sed *cœlum et terram.* Item : *Dixitque Deus : Fiat lux ; et facta est lux... Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum... et fecit Deus firmamentum... Dixit autem Deus : Fiant luminaria magna in firmamento cœli... fecitque Deus duo luminaria magna... Creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem ;* et sic de cæteris. Non ergo solam materiam informem, cui motum impressit, sed distinctas omnium rerum species et individua produxit. Pugnat insuper hæc thesis cum aliis textibus Scripturæ superius citatis, item cum professione fidei et Ecclesiæ decretis, de quibus supra.
Contra rationem. 1° Præter materiam et motum, sunt innumera alia entia in mundo : atqui, *ut probatum est in conclusione,* omne quod est quomodocumque ens, est effectum a Deo : ergo.
2° Juxta principia systematis **Cartesii**, materia est æterna, increata, a se necessario existens, adeoque alter Deus. Ergo. *Prob. ant.* Juxta principia **Cartesii**, materia, extensio, corpus, spatium, sunt unum et idem : atqui determinato quodlibet æternitatis puncto in instanti præcedenti concipitur extensio, adeoque materia ; posito quolibet materiæ termino, concipitur ultra extensio, consequenter materia ; posita tandem qualibet volitione in Deo non creandi materiam, semper concipitur extensio, ideoque materia : ergo materia est æterna, increata et necessario a se existens : ergo alter Deus.
3° Motus, qui, juxta **Cartesium**, est quasi anima ejus mundi, est in ejus systemate impossibilis. Ergo. *Prob. ant.* Juxta systema **Cartesii**, omnia sunt plena, vacuum etiam divinitus est impossibile, nec una pars potest comprimi in minus spatium ut alteri locum cedat, ut docet 2 p. n. 33 : atqui in hoc systemate motus est impossibilis : ergo. *Prob. min.* Fit motus localis dum corpus seu pars mota migrat de loco in locum : atqui si omnia sunt plena, si vacuum esse non possit, nec una pars in se comprimi, ut locum alteri cedat, quo ibit pars quæ supponitur mota ? Hæc capiant, si possint, **Cartesiani** : nos interim paradoxum absonum et inconceptibile reputabimus.
Et ut rem, seu hujus systematis implicantiam, magis in aperto ponam, finge hanc cameram esse ex omni parte repletam fragmentis lapideis, ita ut vel minimum vacuum dari non possit, nec unum fragmentum in angustius spatium cogi, nulla unquam vi quantumvis insigni poterit in illis fieri vel minimus motus, longe minus vortices et circuli **Cartesiani**.
Respondet **Cartesius** 2 p. n. 33, in omni motu circulum seu annulum materiæ simul moveri, ita ut prima pars annuli moveat secundam, secunda tertiam, et sic successive in gyrum usque ad ultimam, quæ eodem instanti occupat locum relictum a prima.
Sed conta 1°. Inde sequitur omnem motum necessario esse circularem, nullum posse esse rectum, contra **Cartesium** qui docet omnem motum esse ex natura sua rectum, nec nisi occursu alterius corporis obliquari. Item sequitur ne unam partem posse moveri quin omnes partes ejusdem vorticis et circuli simul moveantur, nec unam quiescere quin omnes quiescant : quibus positis, patens est motum quem **Cartesius** supponit liberrimum in suis particulis, esse revera difficillimum, atque plane chimæricum ex eo semper circulari et uniformi posse formari omnia mundana corpora etiam viventium.
Contra 2°. Circulum materiæ non potest moveri inter alios circulos, nisi inter hunc et ipsos interjaceat aliquod vacuum, quod est impossibile, secundum **Cartesium**.
Contra 3°. Impossibile est quod una ex particulis **Cartesii** statim adæquate occupet locum alterius, quod tamen fieri deberet si non detur vacuum. Ergo. *Prob. ant.* Omnes particulæ **Cartesii** sunt vel sphæricæ, vel angulares,

vel ramosæ, vel alicujus alterius figuræ : ponamus igitur motum fieri in globulis, eadem est ratio de cæteris ; globulus pellens non potest statim adæquate replere spatium globuli pulsi, nisi illi statim succedat secundum diametrum, quod est impossibile.
Respondet **Cartesius**, hæc interstitiola intra globulos seu alias partes relicta, repleri materia subtili quæ omni loco diffunditur et cuilibet figuræ se accomodat, suæ parum tenax, non secus ac aër replet spatiola granorum in acervo. |
Sed contra 1°. Ante ortum materiæ subtilis erat motus, cum per motum ex continuo attritu globulorum et ramentorum sit effecta. Ergo.
Contra 2°. Partes materiæ subtilis sunt solidissimæ, cum careant poris ex **Cartesio** : ergo sibi contradicit dum dicit eam se omni figuræ accomodare, suæ parum tenacem.
Contra 3°. Omnes partes materiæ subtilis sunt etiam suis figuris præditæ, aliæ ramosæ, aliæ triangulares, etc., ex **Cartesio** : ergo sicut de globulis, sic de istis probat argumentum, unam non posse statim adæquate locum alterius replere.
Ad exemplum **Cartesii,** *patet ex responsione* data disparitatem esse, quod partes materiæ subtilis non natent in aliqua subtiliori materia, sicut grana in aëre. Insuper juxta nos aër potest facile comprimi et dilatari, quod suis particulis denegat **Cartesius**.
In clariorem hujus responsionis **Cartesianæ** *solutionem,* redeat exemplum prius allatum de fragmentis lapideis in camera. Finge illorum quædam, angulis excussis, esse in globulos tornata, alia in pulverem minutissimum decisa, alia in partes paulo crassiores, quarum omnium particularum nullum potest in angustius spatium comprimi ; erit pariter impossibile nullum in eis fieri motum.
Huic itaque invincibili argumento succumbens **Cartesius**, desperata tandem solutione, fatetur aliquid fieri in motu quod mens humana non capit, scilicet, divisionem particularum materiæ in infinitum. Ita **Cartesius** 2 part. Principiorum n. 34 et 35.
Bene dixit **Cartesius** *quod mens humana non capit* ; ecquis enim capere potest in quodlibet motu etiam minimo, materiam reipsa conteri in partes infinitas ? Quis capit id quod ulterius est divisibile, esse reipsa divisum in infinitum ? Quis capit id quod ulterius est divisibile, esse reipsa divisum in infinitum ? Quis capit unam particulam, puta materiæ subtilis, posse conterere et confringere aliam particulam adamante duriorem in partes infinitas ? *Et hoc dato*, evanescit libertas et facilitas motus quam tantopere prædicat **Cartesius**. Denique admissa gratis hac chimærica divisione materiæ in partes infinitas, remanet nihilominus impossibilis motus, ut patet exemplo prius allato de fragmentis lapideis in camera. Hæc pauca de **Cartesianismo**, longe plura apud physicos.

Tractatus de opere sex dierum, dissert. I, art. 5, vol. II, p. 241b-243a
ARTICULUS V
Utrum mundus sit unicus et perfectus ?
Dico 1°. Sunt possibiles plures mundi, - Hic q. 25 a. 5. at q. 47. a. 3. – est tamen reipsa unicus.
Prob. prima pars. Unius mundi creatione non est exhausta infinita Dei potentia. Ergo.
Dices cum **Cartesianis**. Mundus est indefinite extensus : ergo non sunt plures mundi possibiles. *Prob. ant.* Idea extensionis et idea materiæ atque corporis sunt una et eadem : atqui indefinita est extensio ; concipe enim ultra mundum visibilem, concipis extensionem, consequenter concipis materiam et corpus : ergo.
R. N. ant. Ad prob. N. maj. Alioquin, ut arguebamus a. 1, consect. 2, probat. secunda a ratione, sequeretur quod corpus seu materia esset æterna, increata, necessario a se existens ; sic enim concipitur extensio seu spatium. Insuper corpus est naturaliter impenetrabile, secus extensio.
Secunda pars constat ex S. Scriptura quæ unius duntaxat mundi creationem commemorat, atque in eo omnia Dei opera contineri docet. Ita Genes. 2 : *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit ab omni opere quod patrarat.*
Atque ita decebat, tum ut unitas opificis in unitate operis reluceret ; - Hic q. 47. a. 3. – tum quia decet sapientem artificem opera sua non dissipata facere, sed quantum fieri potest adunare et ordinare in unius artefacti consensum.
Dico 2°. Mundus est perfectus.
Intellige perfectionem non essentialem, ut est, v. g. in homine constante corpore | et anima tanquam partibus essentialibus ; non enim mundus est compositum substantiale, aggregatum per accidens ; sed perfectionem accidentalem, quatenus est instructus omnibus necessariis et sibi debitis ad suos fines, qui sunt duo : unus proximus, ut scilicet sit domicilium commodum et utile homini ; alter ultimum, scilicet gloria Dei : spectanda

est ergo perfectio mundi sicut perfectio artefacti, puta, ædificii, nempe secundum partes illarumque ad invicem proportionem et dispositionem ad consequendum finem ob quem conditus est ; et hæc perfectio, *ut patet*, non consistit in indivisibili, sed admittit latitudinem. His observatis,

Prob. conclusio 1° ex S. Scriptura. Genes. 1 dicitur : *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona.* Deuteron. 32 : *Dei perfecta sunt opera.*

2° Mundus est instructus omnibus sibi necessariis et debitis ad consequendos fines suos, scilicet utilitatem hominis et gloriam Dei. Enimvero 1° naturæ quibus constat sunt integræ et perfectæ ; Deus enim et natura, ut fert commune adagium, non deficiunt in necessariis, nec abundant in superfluis. 2° Est in eo mirabilis varietas rerum. 3° Pulcherrimus ordo tempestatum et dierum, sapientissima inter hæc omnia coordinatio et subordinatio : nam non viventia ordinantur ad viventia, viventia vegetativa ad sensitiva, sensitiva ad hominem, homo ad Deum ; ita ut si quædam in mundo secundum se considerata appareant minus perfecta et defectuosa, considerata tamen in ordine ad concentum totius universi, sint bona et perfecta ; sicut licet umbræ in imagine secundum se consideratæ, sint defectuosæ ; consideratæ tamen in ordine ad totam imaginem cujus colores earum ope magis elucescunt, sunt bonæ et utiles.

Dices 1°. Mundus potest perfici, potest enim Deus creare in eo varias aliarum rerum species, virtutes in existentibus augere, etc., atqui quod potest perfici est imperfectum : ergo.

R. D. min. Quod potest perfici est imperfectum positive vel negative ; id est, non habet omnem perfectionem possibilem sibi debitam vel indebitam, *C.* quod potest perfici est imperfectum semper positive, sic, ut careat perfectione sibi debita, *N.* Sic v. g. domus omnibus partibus necessariis instructa potest adhuc perfici additione alicujus ornamenti, non tamen antea erat imperfecta saltem positive ; quia istud ornamentum non erat necessarium ad ejus perfectionem simpliciter consideratam : ita mundus respecu perfectionis possibilis.

Dices 2°. Plura sunt in mundo quæ imperfectionem arguunt. Ergo. *Prob. ant.* 1° Plura sunt inutilia in mundo, ut tot individua ad conservationem specierum, cum in paucioribus possent conservari ; imo multæ species inutiles, ut muscæ, vermes, pulices, pediculi, etc. ; 2° multa incongrua et indecora, ut monstra et peccata ; 3° multa nociva, ut venena, intempestiva frigora, nimii æstus, etc. Ergo.

R. N. ant. Ad primam prob. D. Sunt multa inutilia, hoc sensu quod sine illis mundus foret adhuc perfectus, *C.* hoc sensu quod illis positis mundus sit imperfectus, *N.* Cum enim perfectio mundi, ut dixi, non consistat in indivisibili, sed admittat latitudinem, possunt in eo plura esse quorum neque præsentiam neque absentiam necessario exigat ; quæ si sunt, tamen conducunt ad ejus perfectionem, ut ad ejus locupletationem, varietatem, ornatum et ad alios fines nobis ignotos.

Ad secundum prob. Cum natura tam in physicis quam in moralibus sit defectibilis ex hoc quod sit ex nihilo, provisoris universalis est permittere quod aliquando deficiat, tum ne multa bona desint si omnia mala impedirentur, tum ut oppositorum pulchritudo et integritas magis elucescat, sicut pictor permittit umbras in imagine ut magis elucescant colores ; tum quia Deus ita potens est, ut ex malo eliciat bonum. Id eleganter exponit S. Th. 1 2, q. 22, a. 2. «Dicendum, inquit, quod aliter de eo est qui habet curam alicujus particularis, et de provisore universali ; quia provisor particularis excludit defectum ab eo qui ejus curæ subditur, quantum potest ; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius : unde corruptiones et defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem ; sed tamen sunt de intentione naturæ universalis (Dei scilicet), in quantum defectus unius cedit | in bonum alterius, vel etiam totius universi : nam corruptio unius est generatio alterius per quam species conservatur. Cum igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet ut permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum ; si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo ; non enim esset vita leonis si non esset occisio animalium, nec esset patientia martyrum si non esset persecutio tyrannorum. Unde dicit S. Augustinus in Enchirid. Deus omnipotens nullo modo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi adeo usque esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo.» Hæc S. Th.

Ad tertiam prob. Quæ sunt nociva ex una parte, ex altera sunt utilia : sic venena attemperata serviunt medicinæ ; intempestiva frigora, nimii æstus, licet per accidens noceant herbis, sunt aliunde utilia animalibus, dum aërem purgant et noxios humores consumunt, etc.

Tractatus de opere sex dierum, dissert. II, art. 7, vol. II, p. 256a-257b.

ARTICULUS VII

De opere sextæ diei.

Opus sextæ diei sic exponitur ibidem : *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ*

juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra : et creavit Deus hominem ad imaginem suam ; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et fœminam creavit eos... Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona : et factum est vespere et mane dies sextus.
Recensentur hic tria genera animalium præter hominem ; jumenta, bestiæ et reptilia. Per jumenta, intelliguntur animalia domestica, ut equi, boves, canes, oves, etc. Per bestias, intelliguntur animalia sylvestria, ut leones, ursi, lupi, cervi, etc. Per reptilia, intelliguntur quæ carent pedibus, aut tam breves habent ut vix eleventur a terra, ut serpentes, vermes, lacertæ, etc.
Petes utrum omnes omnino animalium terrestrium species sint hac sexta die productæ ?
R. omnes species animalium perfectas, quæ scilicet naturaliter produci possunt ex commixtione maris et fœminæ ejusdem speciei, fuisse hac sexta die productas. Ita communiter ; idque videbatur exigere perfectio universi : – Q. 72. a. unico, et q. 96. a. 1. ad 2. – consequenter etiam ea species animalium quæ nunc sunt homini vel veneno vel voracitate nociva. Constat enim ex cap. 2 Gen. serpentem tunc fuisse productum. Adde hæc animalia pertinere ad perfectionem universi, tum propter varietatem, tum propter varias utilitates. Attamen tunc non nocuissent homini si non peccasset ; nec se invicem, Deo sic disponente, devorassent, donec esset sufficienter propagata species.
Quantum ad minuta animalia seu insecta quæ nascuntur ex sudore, putrefactione, exhalatione per virtutem siderum vel elementis inditam, ut sint pulices, pediculi, etc. distinguit S. Th. – Hic ibid. ad 5. – Quæ nascuntur ex vitio seu corruptione aliorum animalium, negat fuisse actu producta sexta die, sed potentialiter tantum quæ vero nascuntur ex corruptione rerum ignobiliorum, ut aquæ, terræ, ligni, plantarum, concedit ea fuisse actu producta sexta die : quia, inquit, quod ex corruptione ignobiliorum generentur nobiliora, non repugnat primæ rerum institutioni, sicut repugnaret si ex corruptione nobiliorum generarentur ignobiliora.
Q. 73. a. 1. ad 3. – Quantum denique ad animalia quæ nascuntur ex congressu animalium diversæ speciei, ut mulus ex equa et asino, leopardus ex leæna et pardo, negat fuisse actu producta sexta die, sed potentialiter tantum quatenus data est | virtus aliis animalibus illa producendi ; quia talis commixtio est præter naturam. Unde Judæis fuit prohibita Levit. 9.
Ex dictis colliges, quantum a veritate aberrent **Cartesiani** qui brutis denegant animam sentientem, et volunt ea esse meras machinas. Non enim solum in textu laudato, sed in pluribus aliis formalissime asseritur bruta vivere. Sic in eodem cap. 1 Gen. v. 29 et 30, conceduntur brutis sicut et hominibus herbæ et arborum fructus ad vescendum : *Ecce*, inquit Deus, *dedi vobis omnem herbam et omnia ligna... ut sint vobis in escam, et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli, et universis quæ moventur in terra, in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum.* Numquid puræ machinæ comedunt, vescuntur, nutriuntur sicut homines ? Et cap. 9 ejusdem libri : *Ecce,* inquit Deus, *ego statuam pactum meum vobiscum et cum semine vestro post vos, et ad omnem animam viventem quæ est vobiscum, tam in volucribus quam in jumentis et pecudibus terræ cunctis... Et nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii.* Quomodo autem interfici posset quod non vere vivit ? Et eodem modo loquitur Deus de interfectione bestiarum ac de interfectione hominis : vivunt ergo bestiæ sicut vivit homo. Lege reliquum capitis 9, in quo sæpe repetitur bruta vivere.
Equidem scio S. Scripturam aliquando loqui ad sensum vulgi imperiti ; verum non licet ad hanc solutionem confugere, relicto sensu litterali et obvio, nisi cogente aliqua evidenti ratione quæ hic non subsistit.
Non enim negari potest esse possibilem substantiam non extensam in partes quæ sit capax solius sensationis et directæ cognitionis sensibilium ; in hoc enim nulla involvitur implicantia : hæc autem substantia non foret spiritus, quia esset irrationalis ; neque materia aut corpus, quia non esset extensa in partes, in qua tamen extensione **Cartesiani** reponunt essentiam materiæ et corporis ; sed foret media inter spiritum et materiam, et cum esset ordinata ad constitutionem et conservationem corporis, posset et deberet dici, hac ratione, forma substantialis materialis : in his, inquam, nulla est implicantia. Cum ergo sit possibilis anima sentiens, et S. Scriptura tot in locis tam luculenter asserat eam brutis inesse ; qua fide, qua fronte id negare audent **Cartesiani**, et sensu S. Scripturæ naturali et obvio relicto, nulla cogente ratione, confugiunt ad improprium, *secundum*, inquiunt, *opinionem vulgi imperiti ?* quasi vero solum vulgus imperitum et non doctissimi quique atque universum genus humanum non semper censuisset bruta vere vivere atque sentire ! *Irrationalia quoque animalia,* inquit S. Aug. 1. de Vera Relig. c. 29, *vivere atque sentire nemo ambigit.*
Confirmatur 1°. S. Scriptura et SS. Patres passim docent hominem convenire cum brutis in vita sensitiva et passionibus : unde partem illam animæ quæ sensu et passionibus viget, *animalem* vocant, et homines qui sensum et passiones sequuntur, neglecta ratione, animales et pecudibus similes. *Homo*, inquit Psalmista, *cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.* Et 1 Cor. 2 : *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Ergo sicut homo, sic bruta vivunt vita sensitiva.

Confirmatur 2°. Non sunt majora indicia animæ rationalis in hominibus quam animæ sensitivæ in brutis : ergo si his non obstantibus possum dicere bruta esse meras machinas, eadem ratione, seclusa revelatione, potero reputare omnes homines a me distinctos puras machinas ; quod quam sit absurdum nemo non videt.
Quapropter, attenta suavi Dei providentia, veracitate et bonitate, existimo non esse possibilem machinam quæ, absque anima sensitiva, omnia et eo modo peragat quæ et quo modo peragit brutum tam ad conservationem propriam quam ad conservationem et propagationem speciei generando sibi simile ; hoc enim esset nos inducere in errorem, seclusa revelatione, irreparabilem : quod repugnat suavi Dei providentiæ, veracitati et bonitati. Plura de his ad philosophos.
De homine autem qui, quia est totius creaturæ corporeæ finis et dominus, ultimo productus est, et de quo multa sunt dicenda, sit.

Tractatus de opere sex dierum, dissert. I, art. 6, §2, vol. IX, p. 78b-86b
§ II. *Solvuntur objectiones ex accidentibus remanentibus et simul impugnatur* ***Cartesianismus***.
Hic1. 77. a. 1. o. – *Obj.* 1° Accidentia non possunt esse sine suo subjecto : atqui accidentia panis et vini remanent in eucharistia : ergo remanet substantia panis et vini.
Huic argumento varie varii respondent. Quidam dicunt hæc accidentia esse in aere circumstante, tamquam in subjecto : at id non potest dici : 1° quia hujusmodi accidentium aer non est susceptivus ; 2° quia hæc accidentia non sunt ubi est aer ; 3° quia accidentia non transeunt de subjecto in subjectum, accidens enim accipit numerum a subjecto : unde non potest esse quod idem numero accidens modo sit in uno, modo in altero subjecto ; 4° quia cum aer non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena. Nec dici potest quod hoc fiat miraculose virtute consecrationis, quia verba consecrationis hoc non significant, quæ tamen non efficiunt nisi suum significatum.
Ibid. – Alii dixerunt hæc accidentia esse tanquam in subjecto in corpore Christi : sed neque id dici potest, quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum et impassibile alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates. Adde quod deberet esse localiter extensum, | et quod, ut modo dicebam, accidens non transit de subjecto in subjectum.
Recentiores philosophi, qui essentiam corporis reponunt in trina extensione locali, in longum, latum et profundum, nullum agnoscunt accidens solidum et absolutum a corpore distinctum : unde, ut explicent eucharistiæ mysterium, in quo fide certum est non manere substantiam panis et vini, manere tamen accidentia seu species illorum, nimirum eamdem magnitudinem, eumdem colorem, figuram, saporem, etc. non parum desudant et in varios dicendi modos abeunt : duos propono.
Quidam dicunt Deum in sensibus nostris et in anima easdem impressiones per se ipsum operari ad præsentiam eucharistiæ, quas operabatur panis et quas operaretur si adesset. Ita P. Magnan.
Alii dicunt remanere quidem accidentia, non tamen sine subjecto, sed in corpore Christi subjectata, non quidem eodem numero quæ prius erant, sed eadem specie, orta ex diversis præsentiis ejusdem corporis Christi replicati in loco cujuslibet particulæ panis ultimo sensibilis. Ita Antonius Lengrand, philosophiæ professor in collegio regio Duaci, in opusculo inscripto : *Concordia fidei et rationis* typis Duacenis anno 1711, contra quem scripsi dissertationem *De mente Ecclesiæ circa accidentia eucharistiæ* typis Leodiensibus 1714.
In ea dissertatione constans esse dogma in Ecclesia receptum, remanere in eucharistia accidentia solida absque ullo subjecto substantiali, neque absque ullo subjecto substantiali, neque absque ullo subjecto substantiali, neque absque temeritatis nota posse contrarium sustineri, demonstravi.
1° Ex concilio Constantiensi in quo sess. 8, damnata est hæc Wicleffi propositio : *Accidentia panis et vini non remanent sine subjecto in sacramento altaris :* cujus contradictoria est ista : *Accidentia panis et vini manent in sacramento altaris, et non manent ibi cum subjecto*, ut ibidem ostendi secundum accuratioris dialecticæ regulas contra adversarii sophismata.
2° Ex concilio Trid. sess. 13, can. 20, ubi definitur manere duntaxat species panis et vini, per quas species intelligi accidentia solida probavi et mox iterum probabo.
3° Ex concilio Colioniensi p. 17, cap. 15, et ex Catechismo Romano 2p. n. 25, ubi istud dogma expresse et in terminis asseritur.
4° Ex Patribus Irenæo, Strabone, Alcuino, Anselmo, Petro Lombardo, S. Thoma et omnibus theologis ante natum **Cartesianismum**. Hæc fusius deducta in laudata dissert. potest videre lector ; eam enim ex integro hic exscribere non vacat, pauca tamen specialia proponam contra utrumque dicendi modum **Cartesianorum**.

Impugnantur primus dicendi modus ***Cartesianorum***.

Primo de fide est decisum in concilio Trid. sess. 13, can. 2, remanere in eucharistia *species panis et vini,* et cap. 3, ac can. 3, *totum Christum contineri sub unaquaque specie.* Atqui per species non possunt intelligi nisi accidentia absoluta panis et vini, et non tantum species intentionales, ut vult iste modus : ergo. *Prob. min.* Certum est illas species quæ secundum fidem solæ remanent, esse aliquid reale et non purum nihil ; nihil enim non remanet, nec dividitur, nec alicujus rei potest esse species, nec sacramentum seu signum sensibile constituere ; sunt autem aliquid reale se tenens vel ex parte hostiæ consecratæ, vel ex parte potentiæ sentientis tantum, hoc est, ut vult iste dicendi modus, solæ species intentionales, seu sensatio in organis excitata a solo Deo ad præsentiam panis eucharistici : atqui hoc secundum dici non potest : ergo primum, sicque sunt accidentia solida sine subjecto.
Prob. min. multipliciter. 1° Juxta concilium Christus est præsens sub qualibet specie : atqui absurdum est dicere Christum esse sub gustu, tactu, visu, etc. ergo. 2° Juxta fidem istæ species dividuntur in partes et separantur per ministrum, quod de speciebus intentionalibus dici non potest. 3° Si nihil reale sensibile remanet ex parte objecti, sequitur quod eucharistia non sit signum sensibile adeoque nec sacramentum, præsertim dum hostia consecrata clauditur in pixide, tunc enim nihil est sensibile etiam ex parte sensuum : item quod non consistat in re permanente, sed in actione transeunte ; species enim intentionales, cum non sint nisi variæ sensuum modificationes, non habent esse permanens : unde Christus in pixide clausus, non potest esse sub specie panis, cum tunc nulla esset in sensibus modificatio, seu impressio, adeoque nec species. 4° Sequeretur quod cum sacerdos tangit, frangit, | manducat, porrigit hostiam, nihil reale tangat, frangat, manducet, porrigat, sed imaginarie tantum et intentionaliter, non secus ac somnians escis imaginariis reficitur ; aut dicendum corpus Christi immeditate tangi, frangi, manducari, etc. quod est adhuc magis absonum et communi Ecclesiæ sensui contrarium, secundum quem corpus Christi est ibi insensibiliter et inalterabiliter. 5° Sequeretur quod sensus nostri rite dispositi deciperentur circa proprium objectum debite propositum, quod negat Ecclesia in officio divino, et quod repugnat manifeste rationi ; sicut enim impossibile est quod noster intellectus intelligat nisi aliquid intelligibile, sic impossibile est quod noster oculus videat nisi aliquid visibile.

Impugnatur secundus dicendi modus ***Cartesianorum***.
Juxta illud systema, totum corpus Christi est in qualibet parte hostiæ ultimo sensibili cum trina extensione locali in longum, latum et profundum, ex cujus præsentiis sic multiplicatis resultant eadem accidentia non numero, sed specie, quæ resultabant ex varia dispositione partium panis, sicque ea accidentia subjectantur in corpore Christi ; sicut accidentia priora panis subjectantur in pane.
1° Iste dicendi modus directe contradicit S. Thomæ supra citato, qui probat hæc accidentia non posse subjectari in corpore Christi, tum quia substantia corporis humani non potest affici his accidentibus, tum quia corpus Christi gloriosum et impassibile non potest alterari ad suscipiendas hujusmodi qualitates.
2° Si accidentia non maneant eadem, sed in alia commutentur, non erit tantum transsubstantiatio in hoc sacramento, sed etiam transaccidentatio, quod est inauditum in Ecclesia.
3° Si accidentia quæ remanent et sensibus percipiuntur, sint accidentia corporis Christi et in ipso subjectentur, denominabunt corpus Christi album, durum, rotundum, sapidum, etc. quod citra blasphemiam dici nequit. *Prob. seq.* 1° Ubi est forma, ibi est formalis effectur formæ et ejus denominatio : atqui effectus formalis horum accidentium, est reddere album, rotundum, etc. et ex adversariis, hæc accidentia, seu, ut volunt, hi modi sunt in corpore Christi : ergo ipsum efficient et denominabunt album, durum, etc. 2° Illud dicimus album, durum, quod in omnibus et semper sensationes albedinis, duritiei, etc. excitat : atqui juxta systema adversariorum corpus Christi id præstat : ergo idem quod prius.
Nec hujus argumenti vim infringunt, dum respondent, ideo hæc accidentia non denominare corpus Christi, eo quod non oriantur ex diversa dispositione particularum insensibilium panis, sed duntaxat ex diversis præsentiis totalibus ejusdem corporis pluries reproducti : futilis est, inquam, hæc responsio, nec vel minimum argumento satisfacit. Etenim impossibile est formam alicui subjecto inesse, quovis modo insit, et non ei tribuere effectum formalem primarium, adeoque et formæ denominationem, cum effectus formalis formæ nihil aliud sit quam ipsa forma communicata. Id etiam exemplis patet : sic paries non minus vere denominatur albus quam homo, licet ipsi parieti proveniat albedo ab extrinseco dealbante, homini vero ab intrinseco ; sic homo dicitur justus, fidelis, etc. a justitia, fide, etc. non equidem ortis ex diversa dispositione partium animæ quæ non sunt, nec partium corporis, quia hæ virtutes sunt mere spirituales, sed ab extrinseco supernaturaliter infusis.
Nec quidquam facit ad rem exemplum quod adducunt de Æthyope reproducto sub velamine albo, qui tamen ideo non diceretur albus : disparitas est enim, quod illud velamen album non afficeret intrinsece in genere causæ formalis hunc Æthyopem, nec ipsi inhæret ut accidens, nec tandem ullo modo ab ejus intrinseco procederet, sed foret tantum collocatus sub isto velamine, quasi sub tecto aut tentorio : at vero accidentia

eucharistica, juxta systema positum, afficerent intrinsece corpus Christi, ipsi ut subjecto inhærerent in genere causæ formalis, et ex ipso aut saltem ex ejus præsentiis, ut volunt, proflueren.
Insuper gratis et falso asserunt adversarii hæc accidentia in pane oriri ex diversa dispositione ejus partium insensibilium. 1° *Gratis ;* nullam enim hujus assertionis rationem afferunt, aut quo microscopio id deprehenderint, non ostendunt. 2° *Falso ;* | quo enim pacto, qua arte fieri aut concipi potest, insensibile, seu dispositionem partium insensibilium, addicere sensibiliter sensus nostros, sicut afficiunt accidentia panis et aliorum corporum ? Qui hæc credit, credat pariter ignem posse refrigerare et aquam exsiccare, siquidem non major sit repugnantia quod ignis refigeret et aqua exsiccet, quam quod insensibile causet sensationem ; credat, inquam, apertissimam omnium implicantiam, idem simul posse esse et non esse ; si enim insensibile sentiatur, erit profecto simul et non erit insensibile.
4° Juxta istud systema et **Cartesianorum** principia, corpus Christi erit panis, quia secudum ipsos panis nihil est aliud quam materia quæ hæc et alia panis accidentia nobis exhibet. Item corpus Christi per propria accidentia, non secus ac panis per sua, immediate tangetur, frangetur, manducabitur, in ventrem et in secessum abibit, quod est Stercoranistarum hæresis. Item movetur localiter, est sibi simul dextrorsum et sinistrorsum, simul supra se et infra se, simul rectus et inversus, simul quiescit et movetur, variasque alias antilogias et absurditates quæ ex bilocatione circumscriptiva sequuntur, subire cogitur hæc sententia.
5° Tandem impossibile videtur atque intelligibile, quod corpus Christi localiter extensum cum omnibus suis membris et organis in ordine ad locum, sit in quantumvis minima parte hostiæ vix microscopio attingibili, sine ulla constrictione, alteratione et irreverentia, idque millies in qualibet hostia, toties scilicet quot sunt particulæ hostiæ ultimo sensibiles.
His ergo dimissis et explosis *ad argumentum initio factum R. D. maj.* Accidentia non possunt esse sine subjecto naturaliter et de lege ordinaria, *C.* supernaturaliter et de lege extraordinaria, *N.*
Inst. 1° Quod est de essentia alicujus, ab eo divinitus separari non potest et alteri speciei convenire : atqui inhærentia actualis seu existentia actualis in alio est de essentia accidentis actu existentis, et existentia sine alio de essentia substantiæ actu existentis : ergo. *Prob. min.* Illud est de essentia accidentis et substantiæ quod ponitur in eorum definitione : atqui accidens definitur ens alteri inhærens, seu in alio existens, substantia ens per se subsistens : ergo.
R. N. min. Ad prob. D. min. Accidens definitur ens alteri inhærens actualiter, *N. min.* ens alteri inhærens aptitudinaliter, *C. min.* similiter substantia definitur ens per se subsistens aptitudinaliter et non actualiter. Ita D. Th. 3 p. q. 77, a. 1, ad 2, ubi sibi propositum idem argumentum sic solvit : «Non est ergo definitio substantiæ ens per se sine subjecto : sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere esse non in subjecto, quidditati seu essentie accidentis competit habere esse in subjecto ; in hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suæ essentiæ non sint in subjecto, sed ex divina virtute sustentante ; et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab ais definitio accidentis quæ est aptitudo ad subjectum quæ semper manet in iis, non actualis inhærentia, nec competit eis definitio substantiæ». Idem docet in 4, dist. 12, q. 1, a. 1, quæstiunc. 1, ad 2, et rationem subdit ibid. *Quia esse seu existere in nulla quidditate creata est intrinsecum* (seu essentiale) *prædicatum ;* hoc enim solius Dei est proprium. Si ergo existentia ut sic non sit de essentia entis creati ut sic, ut fusius probatur in metaphysica, bene sequitur quod talis vel talis existensia [*sic*], per se scilicet vel in alio, non sit de essentia talis entis in particulari, substantiæ vel accidentis, sed sola aptitudo ad talem vel talem existentiam.
Inst. 2° Inhærentia actualis est de essentia accidentis actu existentis ergo. *Prob. ant.* Omne quod actu existit, essentialiter existit in se vel in alio : atqui accidens actu existens non existit essentialiter in se, alias nunquam posset existere in alio : ergo essentialiter existit in alio : ergo essentialiter existit in alio. *Prob. maj.* Differentiæ divisivæ alicujus generis conveniunt essentialiter illius speciebus : atqui existentia actualis in se et existentia actualis in alio sunt duæ differentiæ divisivæ entis actu existentis, immediate et adæquate ipsum dividentes, eo quod necesse sit ut omne ens actu existens alterutram habeat : ergo.
R. N. ant. Ad probat. N. maj. Ad prob. D. maj. Differentiæ essentiales divisivæ alicujus generis conveniunt essentialiter illius speciebus, *C. maj.* differentiæ accidentales, | *N. maj. et distincta min. ad sensum maj. N. conseq.* Dico igitur existentiam actualem in se, et existentiam actualem in alio esse differentias accidentales entis actu existentis, quia ipsum dividunt ratione existentiæ actualis, quæ, ut jam diximus, non est essentialis sed accidentalis enti : sicut si, v. g. divideretur corpus coloratum in album et nigrum, divisio foret quidem essentialis respectu coloris, accidentalis vero respectu corporis ; quia color ratione cujus fieret hæc divisio, ipsi corpori est accidentalis. Similiter ergo cum dividitur ens actu existens in actu existens per se, et actu existens in alio, divisio potest quidem dici essentialis respectu actualis existentiæ, non vero respectu entis, cum actualis existentia ratione cujus fit divisio sit ipsi accidentalis.

Porro inhærentiam actualem non esse de essentia accidentis actu existentis, quod est fundamentum solutionum nostrarum, constat. 1° Quia existentia actualis ut sic, non est de essentia entis creati ut sic, ut jam, diximus ex D. Th. et probatur in metaphysica : ergo nec existentia actualis determinata, scilicet in alio, seu inhærentia actualis, est de essentia entis determinati, scilicet accidentis. Quod est adhuc verius in sententia Thomistarum qui probant in metaphysica inhærentiam actualem esse modum existentiæ, et ipsam præsupponere in accidente.
2° Sic se habet inhærentia actualis ad accidens actu existens, sicut subsistentia actualis ad substantiam actu existentem : atqui subsistentia actualis non est de essentia substantiæ actu existentis, ut patet in mysterio Incarnationis, in quo natura humana spoliatur subsistentia propria et subsistit subsistentia Verbi : ergo.
3° Ideo inhærentia actualis est necessaria accidenti, quia cum sit debilis et infirmæ naturæ, se solo stare non potest ; sed indiget fulcro et subjecto, a quo tum in genere causæ materialis receptivæ, tum in genere causæ secundæ efficientis dantis esse, sustentetur : atqui Deus potest supplere causalitatem subjecti, non quidem in genere causæ secundæ efficientis dantis esse, sustentetur : atqui Deus potest supplere causalitatem subjecti, non quidem in genere causæ materialis, sed efficientis, et se solo præstare in accidente quod facit cum subjecto, sicut cum producit hominem, puta, Adam vel alios effectus sine concursu solito causarum secundarum : ergo inhærentia actualis non est de essentia accidentis, etiam actu existentis, et ab illo divinitus separari potest.
Hinc eleganter quidam recentior : Ostendant (hæretici), si possint, Creatorem omnipotentem, qui omnia de nihilo condidit, creata non posse sine naturalibus fulcris conservare ; forte creaturarum adminiculo eget conservator Deus facta ne pereant, qui ipsis adminiculis sustentandi vim contulit.
Inst. 3° *Dato* quod inhærentia actualis non sit de essentia accidentis, saltem accidens non potest actu existere sine aliqua inhærentia actuali : ergo. *Prob. ant.* Substantia non potest actu existere sine aliqua substantia actuali : ergo nec accidens sine aliqua inhærentia actuali. *A pari.*
R. N. ant. Ad probat. transeant ant. Et N. conseq. Disparitas est, quod existentia substantiæ præsupponat subsistentiam ; in accidente vero, existentia præsupponitur ad inhærentiam. Et ratio hujus discriminis est, quia existentia substantiæ est existentia perfecta, et dans primum esse ; adeoque non competit nisi toti perfecto et completo seu termino, non vero parti, quæ non existit primo et per se, sed dependenter a toto quod supponit prius se : substantia autem completur, perficitur et terminatur per subsistentiam, et si præsupponitur ad existentiam, ita ut remota subsistentia removeatur etiam existentia substantialis, prout est existentia perfecta et per se. At vero et contra accidens non habet existentiam perfectam per se et totalem, sed imperfectam et indigentem altero ut ibi terminetur et non decidat : unde potius convenit accidenti talis existentia quam inhærentia per quam perficitur ; per illam enim alteri innititur et terminatur ; et ita sublato subjecto cui innititur accidens, conservat Deus speciali concursu sine ista innitentia ipsum esse accidentis, quod antea cum subjecto conservabat.
Dixi, *transeat ant.* Non enim constat apud omnes, et illud negant Cajetanus 3 p. q. 4, a. 2 ; Philippus a S. Trinitate q. 20 Metaphysicæ a. 4, et potest dici quod possit existere substantia sine subsistentia saltem positiva.
Inferes. Ergo saltem in hoc casu, accidens speciali Dei beneficio fiet substantia. *Prob. illatio :* speciali Dei beneficio fiet ens per se existens : ergo substantia.
R. N. illationem. Ad probat. D. ant. ut supra. Fiet ens per se existens, remanente | semper exigentia naturali subjecti, *C. ant.* sine exigentia naturali subjecti, *N. ant.* Cum enim ex natura sua non sit ens per se existens, sed petens existere in alio, semper haberet inhærentiam aptitudinalem ex se ad subjectum, et sic semper remaneret accidens ; substantia enim est ens existens per se ex natura sua, sine tali exigentia subjecti.
R. 2° *D. idem an.* Speciali beneficio esset ens per se existens negative, *C. ant. et N. conseq.* Dupliciter igitur dicitur per se existere : 1° positive, id est, per aliquam formam seu modum positivum, qualis est subsistentia ; et sic existit substantia. 2° Dicitur existere per se negative, id est, non esistere in alio, sine tamen aliquo modo seu forma positiva ; et sic existit accidens in eucharistia separatum, ut dicemus modo.
Repones. Accidens non potest existere separatum a subjecto, neque per modum positivum, neque per negationem inhærentiæ : ergo. *Prob. ant. pro prima parte ;* quia talis modus positivus foret vel substantialis vel accidentalis : non substantialis, quia nulli substantiæ debetur ; non accidentalis, quia modus accidentalis non potest extra subjectum sustentare et consistere, cum ex se petat subjectum, hoc ipso quod est accidentalis et positivus, et eadem foret de ipso difficultas ac de accidente.
Prob. secunda pars. 1° Accidens existens separatum a substantia est nobilius accidente inhærente : atqui si existat per solam negationem inhærentiæ sine modo superaddito, non erit nobilius : ergo. *Prob. min.* Quando proprietas tollitur ab aliqua essentia et illi nihil additur, ista res non fit perfectior, sed imperfectior : v. g. si calor auferatur ab igne et nihil illi adderetur, non esset ignis perfectior, sed imperfectior : aqui saltem, juxta Peripateticos, inhærentia actualis est proprietas accidentis : ergo.
Prob. eadem pars. 2° Substantia non potest existere actu in subjecto per negationem existendi per se : ergo nec accidens potest existere actu per se per negationem existendi in alio.

R. 1° *C. ant. pro prima parte,* propter rationes allatas in argumento, licet tamen plures Peripatetici oppositum sentiant ; *N. pro secunda parte. Ad primam probat. N. min. Ad probat. D. maj.* Quando aliqua proprietates ab aliqua essentia tollitur et nihil ei additur, non fit perfectior si ista proprietas non sit imperfectio, *C. maj.* si ista proprietas sit imperfectio, *M. Maj.* Jam autem inhærentia actualis, *dato* quod sit proprietas, est imperfectio, utpote dependentia ab alio, et consequens naturam accidentis reduplicative ut infirmam et imperfectam : unde accidens separatum a subjecto est perfectius per remotionem talis imperfectionis et non per novam perfectionem additam.

Insuper et præcipue dico 2° *ad min. hujus syllogismi,* inhærentiam actualem, quantum ad actum inhærendi, non esse proprietatem accidentis, sed actum proprietatis ; proprietas autem est ipsa inhærentia aptitudinalis proxima, sive est inhærentia proxima actualis, ut ita dicam, quantum ad habitum : sicut, v. g. risibilitas quantum ad actualem risum non est proprietas hominis, sed actus tantum proprietatis ; sed risibilitas quantum ad habitum seu radicem, est ejus proprietas ; nec inde fit homo imperfectior, quando actu non ridet, et si aliquod positivum isti privationi risus non succedat.

Dices. Dictum est supra, inhærentiam aptitudinalem esse essentiam accidentis : ergo non potest esse ejus proprietas.

R. D. ant. Inhærentia aptitudinalis remota et fundamentalis est essentia accidentis, *C. ant.* inhærentia aptitudinalis formalis et proxima est essentia accidentis, *N. ant. et conseq.* Essentia igitur accidentis est natura essentialiter imperfecta et infirma, adeoque respiciens substantiam, et hoc est quod dicitur inhærentia aptitudinalis remota et fundamentalis, quia ex illa sequitur in accidente quædam potentia seu aptitudo proxima et formalis ad inhærendum, et hæc est ipsius proprietas, cujus actus est actualis inhærentia : et cum definitur accidens, ens in alio, seu melius, ut diximus supra ex D. Th. ens cui debetur esse in alio, si definitio tradatur essentialiter, debet intelligi de inhærentia aptitudinali remota et fondamentali [*sic*] ; quod si intelligatur inhærentia aptitudinalis proxima et formalis, erit definitio descriptiva : et sic plerumque intelligitur et traditur, ut magis explicetur dependentia accidentis a substantia.

Ad secundam probationem ant. supra | positi, *R.* 1° *N. conseq.* Quia esse in aliquo per inhæsionem importat necessario quid positivum ; at vero esse per se potest concipi vel positive pro forma, scilicet pro subsistentia positiva, vel pro negatione essendi in alio : sicut rationalitas, v. g. non potest sumi nisi positive, irrationalitas vero sumi potest, vel positive pro forma aliqua, ut in bruto, vel negative pro mera negatione rationalitatis, ut in nihilo, lapide, etc. Altera disparitas est, quod existentia substantiæ supponit subsistentiam, ut diximus ; existentia vero accidentis non supponit inhærentiam, sed supponitur ad illam.

Urgebis. Minus dependet substantia ab accidentibus, quam accidentia a substantia : atqui non potest esse substantia sine omni accidente : ergo nec accidens sine omni substantia. *Prob. min.* Substantia non potest esse sine *ubi* et *quando*, juxta illud : *Quidquid est, alicubi et quando est.* Ergo substantia, etc.

R. N. min. Ad probat. D. ant. Substantia non potest esse sine *ubi* et *quando* fundamentali et radicali, *C. ant.* sine *ubi* et *quando* actuali et formali, *N. ant.* Cum enim *ubi* et *quando*, actualiter et formaliter sumpta, sint modi resultantes in corpore ex mensuratione loci et temporis, Deus potest impedire ne resultent isti modi, remanente in corpore exigentia et fundamento ad illos ex ista mensuratione loci et temporis, sicut, v. g. impedivit ne ex natura humana Christi resultaret modus illi naturalis, scilicet subsistentia. Ad axioma vero allatum, dico debere intelligi juxta communem et naturalem rerum ordinem, vel de *ubi* et *quando* radicaliter sumptis. Alia argumenta videri possunt in præfata nostra dissertatione, ex qua ista excerpsimus.

Petes utrum omnia accidentia in hoc sacramento sint sine subjecto, an sola quantitas ?

Hic. q. 77 a. 2. o. – *R.* solam quantitatem existere sine subjecto, cætera vero existere in quantitate.

Ibid. – *Ratio est* 1° quia sic salvatur modus connaturalis existendi aliorum accidentium, nec multiplicantur aliorum accidentium, nec multiplicantur miracula, sed sufficit quod quantitas existat separata a subjecto ; cætera enim accidentia connaturaliter sustentantur a quantitate, et ea mediante a substantia : unde nulla fit mutatio in aliis accidentibus.

Ibid. in a. s. c. – 2° Quia cætera accidentia seu qualitates, color, sapor, etc. non sunt divisibiles nisi ratione subjecti, ex se enim non habent partes, sed eas emendicant a quantitate : atqui qualitates in hoc sacramento dividuntur ad divisionem quantitatis, ut patet ad sensum : ergo sunt in quantitate sicut in subjecto.

Ibid. o. – 3° Apparet ad sensum aliquid quantum esse coloratum et aliis accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur.

4° Tandem, videmus dari commune subjectum actionis et reactionis accidentium, quod non potest esse aliud quam quantitas, quæ cum sit prima proprietas substantiæ corporeæ, proxime accedit ad genus causæ materialis. Et hinc fit quod, quamvis in eucharistia sint sola accidentia, non tamen dicatur tantum in abstracto esse in ea color, sapor, etc., sed etiam in concreto esse coloratum, sapidum, etc. ratione scilicet quantitatis, quæ est illorum subjectum.

Obj. 2° Sensus bene dispositi circa objectum debite propositum non falluntur : atqui sensus bene dispositi referunt esse panem in eucharistia, et objectum est debite propositum : ergo.
R. D. maj. Sensus bene dispositi non falluntur circa objectum debite propositum quod sit proprium sensibile, ut visus circa visibile, *C.* quod sit sensibile per accidens ut est substantia, *N. Ad cujus sensum distincta min. N. conseq.* Non enim ad sensus pertinet judicare de substantia, sed ad intellectum, sicque circa illam possunt falli, seu potius præbere intellectui occasionem errandi circa illam.
Inst. Quando plures sensus bene dispositi uniformiter et constanter referunt aliquid de objecto debite proposito, ita esse necessum est, alioquin nunquam illis esset fidendum et continuo subjiceremur periculo errandi : atqui plures sensus bene dispositi uniformiter et constanter referunt esse panem in eucharistia, estque objectum debite propositum : ergo.
R. D. maj. Si ratio vel fides judicium sensuum non corrigat, *C.* si corrigat, *N.* Hic autem fides corrigit judicium sensuum.
Obj. 3° Ex eucharistia fit generatio, sensibus enim apparet ex speciebus panis quandoque generari, vel cineres si comburantur, | vel vermes si putrefiant, vel pulveres si conterantur : atqui generatio substantialis fit ex præjacente materia et substantia : ergo remanet substantia panis et vini. Item panis eucharisticus nutrit : atqui non nutrit ratione accidentium aut corporis Christi, nutritio enim fit per conversionem substantiæ alimenti in substantiam aliti : ergo.
Hic. q. 77, a. 5. o. – *R.* generari aliquid ex speciebus eucharisticis negari non potest, cum id ipsis sensibus constet ; sed quomodo fiat ista generatio difficile concipitur et varie explicatur-
Ibid. – Quidam dixerunt quod ea quæ generantur, non fiant ex speciebus eucharisticis, sed ex aere circumstante ; quod quidem impossibile apparet multipliciter. 1° Quia ex eo generantur aliquid, quod prius alteratum et corruptum apparet : nulla autem alteratio vel corruptio prius apparuit in aere circumstante, sed in ipsis speciebus. 2° Natura aeris non est talis, quod ex eo per tales alterationes talia generentur. 3° Potest contingere in magna quantitate hostias consecratas cumburi aut putrefieri, nec esset possibile tantum de corpore terreno generari ex aere, nisi magna et valde sensibili inspissatione aeris facta. 4° Licet non circumstet aer, sed species includantur in auro vel argento, similiter fit generatio, manente incorrupto auro vel argento.
Ibid. – Alii dixerunt quod redit substantia panis et vini in ipsa specierum corruptione ; sed hæc positio videtur falsa. 1° Quia, sicut substantia panis conversa est in corpus Christi, deberet corpus Christi converti in substantiam panis ; quod est inauditum. 2° Quia non potest assignari quando substantia panis redeat, non manentibus speciebus sacramentalibus ; quia quamdiu permanent, manet corpus Christi, quod non potest esse cum substantia panis, neque iis cessantibus, quia jam substantia panis esset sine suis accidentibus, quod non potest esse sine novo miraculo ; non debet autem dici quod aliquid miraculose accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione, ex qua non est quod substantia panis redeat, et quod subsistat sine suis accidentibus ; sed debet potius, in quantum fieri potest, salvari corruptio et generatio naturalis, prout sensibus deprehenditur. Propter eamdem rationem, non videtur dicendum cum Scoto et Vasques, novas substantias, puta, vermes, cineres, etc., de novo creari, neque cum quibusdam recentioribus Thomistis, quantitatem a solo Deo in novum compositum converti ; hoc enim est multiplicare miracula et non salvare veram generationem, quæ requirit ut nova forma educatur de subjecto, vel saltem quod unio formæ cum materia ab agente naturali attingatur, ut fit in generatione hominis.
Ibid. – Respondet itaque Auctor, in ipsa consecratione miraculose dari quantitati dimensivæ panis et vini, quod sit primum subjectum subsequentium formarum, quod est proprium materiæ : et ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati omne illud quod ad materiam pertinet : unde quidquid posset generari ex materia panis et vini, si adesset, totum potest generari ex dicta quantitate, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.
Sed difficultas est utrum quantitas gerat vices materiæ, non solum ad recipiendum dispositiones prævias ad generationem, sed etiam ad eductionem formæ substantialis, ita ut novum compositum constet solum quantitate et forma substantiali : an econtra, facta alteratione et positis dispositionibus sufficientibus in quantitate ad generationem, producatur a Deo materia ex cujus potentia educatur, et in qua recipiatur forma substantialis novi compositi ? Primum tenet Ferrariensis cum quibusdam aliis, præsertim propter textum D. Th. mox laudatum. Verum secundum est probabilius et communius : 1° quia de ratione compositi materialis et substantialis physici est, quod constet materia et forma ; 2° quia alias sequeretur quod foret perpetuum miraculum etiam extra eucharistiam ; quantitas enim illa quæ foret loco materiæ in novo composito, puta vermibus, existeret sine subjecto ; similiter quando novum compositum ex vermibus generaretur, et sic usque in finem mundi, non enim est major ratio de una generatione quam de alia. Item sequeretur quod vermes, v. g. geniti ex speciebus eucharisticis essent monstra, scilicet semisubstantiæ et semiaccidentia ; item quod anima

hominis partim nutriti ex speciebus eucharisticis, partim nutriti ex speciebus eucharisticis, partim informaret materiam, partim solam quantitatem, sicque esset semihomo. |

Unde ad textum S. Th. quando S. Doctor dicit quod quantitas sit *subjectum subsequentium formarum*, intelligit de subsequentibus formis accidentalibus, seu qualitatibus alterantibus species consecratas, non de forma substantiali. Quando addit : *Quidquid posset generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva*, non intelligit generationem stricte sumptam pro eductione et receptione formæ geniti, sed alterationem præcedentem quæ ad generationem proxime disponit. Ita intelligendum esse S. Doctorem, probant non solum quæ mox dicebamus, sed et alii ejus textus : in 4, d. 12, q. 1, a. 2, q. 4, ad 4, dicit : «Secundum quamlibet positionem, oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum et aliquid naturale : reditus substantiæ, vel creatio materiæ, vel conversio dimensionum in materiam, est miraculum : sed quod materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones præcesserant in dimensionibus, hoc est naturale». Quibus aperte docet quod, dum generatur aliquid ex speciebus sacramentalibus, materia producatur per creationem, vel per conversionem quantitatis in ipsam, et quod ipsa materia de novo producta sit receptiva formæ generatæ. Et hic a. 6, ad 2, dicit *species sacramentales non esse ea ex quibus corpus hominis constat.*

Ex dictis pariter *solvitur argumentum* de nutritione, quia, cum, sit partialis generatio, sicut ex speciebus eucharisticis potest aliquid generari, ita et nutriri.

Si petas per quam actionem producatur materia, an per creationem, an per conversionem quantitatis in ipsam ? *R.* id indecisum relinqui a S. Doct. loc. cit. in 4, et utrumque esse probabile. Videtur tamen convenientius dici quod producatur per conversionem quantitatis in ipsam ; tum quia ex vi prioris miraculi quo substantia panis conversa est in corpus Christi, magis connaturaliter sequitur quod id quod remanet de substantia panis, convertatur in materiam, ex qua educenda est forma substantialis ; tum quia magis connaturale est, ut subjectum quod recipit dispositiones ad formam, cum non possit recipere hanc formam, convertantur in id quod potest illam recipere.

Si dicas tunc nonc salvari mutationem quam necessario involvit generatio ; cum enim, secundum hanc opinionem, materia tantum introducatur in ipso instanti generationis, in quo forma ipsa introducitur, nunquam fuit sub privatione formæ, sicque non potest mutari, seu transire de privatione ad formam. *R.* quod, cum de æquipollentibus sit eadem ratio et idem judicium, ut materia dicatur mutari de privatione ad formam, sufficit quod aliquid æquipollens materiæ et ejus vices gerens, scilicet quantitas, fuerit toto tempore ante instans generationis sub privatione formæ. Ita Gonet. ex Joanne a S. Th.